



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XLII. Alexandri Papae III. Ad Bitvicensem Archiepiscopvm, Et
Nivernensem Episcopvm. Vt ipsi Londoniensem & Saresberiensem
episcopos a Thoma excommunicatos absoluant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

niri. Volentibus autem inter te & ipsum pacem refor-
mari, benigno fauore acquiescas. Quos vero huius dis-
sensionis noueris haec tenus fuisse incentores, de cetero
non exaudias. Nihilo minus & filium tuum super articu-
lo iuramenti, quod prætermisit, de seruando iure & li-
bertate Cantuariensis ecclesiæ, secundum quod reges &
principes Angliæ fecisse noscuntur, eidem archiepisco-
po & ecclesiæ suæ condigne satisfacere moneas, & hor-
teris, & quod prætermisum est facias adimplere. Or-
dinationes quoque ecclesiarum, & alia, quæ ad viros ec-
clesiasticos pertinent, prædicto archiepiscopo, & aliis
viris ecclesiasticis, tam tu quam filius tuus libere & pa-
cifice relinquatis: vt sic agendo hostiam laudis Domi-
no digne immolare possitis, & vobis regnum compara-
re æternum.

EPISTOLA XLII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD BITVRICENSEM ARCHIEPISCOPVM,
ET NIVERNENSEM EPISCOPVM.

Vt ipsi Londoniensem & Saresberiensem episcopos
a Thoma excommunicatos absoluant.

*Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Bitu-
ricensi archiepiscopo, & Niuerensi episcopo, salutem
& apostolicam benedictionem.*

F RATERNITATI vestræ non credimus esse incogni-
tum, qualiter sanctæ recordationis Thomas, quon-
dam Cantuariensis archiepiscopus, de mandato nostro in
Londoniensem & Saresberiensem episcopum excom-
municationis sententiam promulgavit: quam vtique nos
ratam habentes & firmam, eam auctoritate apostolica
curauimus confirmare. Quia vero prædicti episcopi se-
nior & debilitate corporis confecti, & alter morbo labo-
rans, ad præsentiam nostram venire non possunt, vobis,
de quorum prudentia & honestate confidimus, absolu-
tionem eorum, pro qua nuntii Henrici regis Angliæ &
eorumdem episcoporum apud nos vehementius insti-
runt, duximus committendam. Ideoque fraternitati ve-

stræ per apostolica scripta mandamus , quatenus infra
mensem , postquam iidem nuntii ad propria redierint ,
de aduentu legatorum nostrorum , quos ad partes illas
pro cognoscenda atrocitate illius facinoris & sceleris ,
quod perpetratum est , & reconciliatione regis , disposui-
mus transmittere , quod transalpinauerint vobis non in-
notuerit : eos publice , recepto iuramento secundum mo-
rem ecclesiæ , quod nostro debeat astare mandato , ab
excommunicationis vinculo absoluatis , sententia suspen-
sionis ob eam causam , qua fuerant ultimo in excommu-
nicationem deducti , in suo robore permanente . Si au-
tem vobis constiterit , quod Saresberiensis episcopus mor-
bo laborans ad vos venire non possit , illuc in propria per-
sona , quod nobis placeret , accedatis : aut si accedere
non poteritis , personas idoneas , de quibus nos & vos
confidere valeamus , transmittatis , quæ illum , recepto
iuramento publice in conspectu ecclesiæ , quod nostro
debeat parere mandato , absoluant . Si autem huic rei ,
frater archiepiscopi , interesse non poteris , tu , frater epi-
scope , ipse cum Pontiniacensi abbe quæ dicta sunt di-
ligentius exequaris . Data Tusculani octauo Kalendas
Maii .

EPISTOLA XLIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD MONACHOS CANTVARIENSIS ECCLESIAE.

De canonizatione sancti Thomæ Cantuariensis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Priori
& monachis Cantuariensis ecclesiæ salutem
& apostolicam benedictionem.*

GAUDENDVM est vniuersitati fidelium de mirabilibus
illius sancti & reuerendi viri Thomæ archiepiscopi
vestri . Sed vos exinde tanto ampliori gaudio & exulta-
tione debetis repleri , quanto ipsius miracula oculata fide
sepius intuemini , & eius sanctissimo corpore ecclesia
vestra specialius meruit illustrari . Nos autem considera-
ta gloria meritorum eius , quibus in vita sua magnani-
miter claruit , & de miraculis eius non solum communi &

Concil. Tom. 27.

Pp ij